Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

nis uiuus qui de celo descendi. Hec est annona pluuiarum de horreis inuecta
dominicis. unde pascuntur angeli. quia panem angelorum manducauit homo. Post plu-
uiam ergo et hanc annonam quid seruat? Quid dabit uictoribus; nisi quod in alio psalmo
dicitur: unam petii a domino hanc requiram. ut inhabitem in domo domini per omnes dies uite
mee. ut contempler delectationem domini. et protegar a templo eius? Quid est homo
quoniam innotuisti ei. aut filius hominis quoniam estimas eum? Quare? Homo uanita-
ti similis factus est. et tamen innotuisti ei. et estimas eum. Homo uanitati simi-
lis factus est. Cui uanitati? Temporibus preter labentibus et preter fluentibus.
Vanitas enim ista dicitur in comparatione cuiusdam semper manentis et numquam deficien-
tis ueritatis. Nam et ista creatura est loci sui. Impleuit enim deus terram sicut scrip-
tum est bonis suis. Quid est suis? Congruentibus. Sed hec omnia terrena. uo-
latica. transitoria. si comparentur illi ueritati ubi dictum est ego sum qui sum. totum
hoc quod transit. uanitas dicitur. Euanescit enim per tempus. tamquam in auras fumus.
Et quid dicam amplius quam id quod apostolus iacobus dixit. uolens homines superbos
ad humilitatem redigere. Que est enim inquit uita uestra? Vapor ad modicum appa-
rens. deinceps exterminabitur. Ergo homo uanitati similis factus est. Peccando
uanitati similis factus est. Nam quando est primum conditus ueritati similis fac-
tus est. sed quia peccauit recepit dignam. uanitati similis factus est. Pro iniquitate
enim erudisti hominem dixit in alio psalmo. et tabescere fecisti sicut araneam ani-
mam meam. Inde et hoc. homo uanitati similis factus est. Ibi quid ait? Ec-
ce ueteres posuisti dies meos. Hic quid ait? Dies eius sicut umbra pre-
tereunt. Attendat ergo homo in diebus umbre sue. ut faciat aliquid desiderare
dignum lucis sue. et si in nocte umbra est. querat diem. Dies enim huius uani-
tatis. hominum dies est tribulationis. Siue aliqua molestia noceat nobis. si-
ue aliqua prosperitate mundus arrideat. totum timendum et gemendum est. quoniam temp-
tatio est uita humana super terram. Unde enim dicitur: tota die contristatus am-
bulabam? Solatiis opus habemus. et quicquid nobis nunc exhibet deus cum prospere ex-
hibet. non est gaudium beatorum sed consolatio miserorum. Itaque agat aliquid in quantum
homo dignum desiderata luce. in istis diebus umbre sue. et nocte inquirat dominum.
sicut scriptum est. In die tribulationis mee deum exquisiui manibus meis nocte
contra eum. et non sum deceptus. Quam dicit diem tribulationis. nisi quam dicit et noc-
tem? Manibus meis coram eo. Adhuc in nocte sumus. et ad prophetie lucernam ui-
gilamus. Aliquid promissum est quod adhuc exspectatur. Sed quid ait apostolus petrus.
Habemus certiorem propheticum sermonem. cui bene facitis attendentes tamquam lucer-
ne lucenti in caliginoso loco. donec dies lucescat. et lucifer oriatur in cor-